

corpus verum, nisi prius collatum inveniret, per se conferret. Priorem interpretationem communis amplectitur Theologorum consensus, amplioremque illam potestatem erga corpus Christi mysticum characterem esse, et Sacramento conferri, ajunt plures; inficitur Thomas, quem frequens Theologorum et Canonistarum agmen sequitur.

At etiam nonnulli videntur fuisse, qui per Episcopalem ordinationem, si cuiquam nondum Presbytero inaugurato adhiberetur, ipsam conferri opinati sint potestatem in corpus Christi verum, et plenam simul omnem potestatem in corpus Christi mysticum. Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum Capite 16, haec habet: « Utrum Diaconi ad Episcopatum electi per saltum, apud Romanos ordinati sint (omisso scilicet Presbyteratu), non levis momenti quaestio est. Partem affirmantem adstruere videtur libellus noster prior: eadem enim ejus qui ex Diacono, atque illius qui ex Presbytero ordinatur, consecratio. Nimirum fortasse quia, ut sentit Hieronymus Epistola 85, (ad Evagrium seu Evangelum) in Episcopo et Presbytero continetur. Hanc sententiam confirmat Photii adversus Romanos ista objectio, cur Levitae Episcopi ferent, presbyterii gradu non prius accepto? Hanc quidem objectionem ex calumnia oriri dicit Ratramnus (noni saeculi scriptor); eamque retorquet in adversarios, qui ex laicis subito tonsis faciebant Episcopos contra regulas ecclesiasticas. At Aeneas Parisiensis Episcopus (eodem saeculo nono) facti veritatem non diffidit, respondetque . . . quod in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis. Tum subdit: Forsitan autem illi qui de Diacono ordinant Episcopum, praetermissa benedictione presbyterali, assertioni Beati Hieronymi in epistola loquentis ad Titum, ex parte concedere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo participari affirmat Ministerio Episcopali. » Et capite 18: « Quae de Episcoporum ordinatione per saltum in superiori Capite praemisimus, quodam secundae quaestioni praepudicium est, Romanae Sedis electum, si quando ex Diacono creabatur, praetermissa Presbyteri gradu, Pontificem fuisse ordinatum. Id autem conjicitur ex altero libello nostro etc. » In eandem ire videntur sententiam Franciscus Pagius in Breviario Historico-Chronologico-Critico Pontificum Romanorum, in Sabiniario, qui cum Diaconus esset S. Gregorii, post hujus obitum anno 604, ordinatus est Summus Pontifex: eamque consuetudinem docet abrogatam jam fuisse tempore Gregorii VII, qui Archidiaconus tantum erat, anno 1075 electus est Pontifex, prius ordinatus Presbyter, et altera die Pontifex. Stephanus IX, qui anno 1085, sedem Apostolicam conscenderat, Alphonsus Salernitanae sedis electum ordinatus, « in juniis Martii prius mo Presbyterum, » teste Leone Marsicano Libro 2, capite 98, « deinde sequenti Dominicae Archiepiscopum » consecravit.

Doctissimis hisce Viris oppono doctissimum Thomassinum Parte 2, Libro 1, capite 86, num. 15, ubi ait: temere Photium latinae obtrectasse Ecclesiae, quasi in ea Episcopi ex Diacono, non suscepto Presbyteratu, ordinarentur. Verba refert Nicolai 1, qui Epistola 70, ad Hinemarum inter plures Graecorum calumnias et illam commemorat, « quia Diaconus, non suscepto Presbyteratu officio, apud

« nos Episcopus ordinatur. » Addit Ratramni Monachi testimonium ex Libro 4, Capite 8, contra praedictam a Photianis excogitatum calumniam. Conjectatur vero, inde forsitan Graecos ansam casuisse conviciandi Latinis, quod Canones nostri sanxissent, ut « ex Presbyteri vel Diaconis » Episcopi deligerentur: inde conclusentes, tam immediate Episcopatum a nobis conferri Diaconis, quam Presbyteris. Animadvertit, Aeam Parisiensem Episcopum illam ordinationem per saltum factam quidem esse, sed trepido ac pene suspensio calamo, re non satis illi comperta et explorata. Romanam synodum sub Joanne XII. celebratam anno 964, recenset, ex qua constat, Antipapam Leonem VIII. ordinatum primo fuisse « Ostiarium, » tum « Lectorem, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, » et tandem « Presbyterum, » antequam « Pontifex » inauguraretur. Joanni XII. vita funeto anno 964, suffectus est Benedictus V. qui Diaconatus ordine insignitus erat, detruso Leone. Cum is rursus Sedi Apostolicae redintegratus esset, Benedictum deturbavit, « omnique » spoliavit ipsum, teste Luitprando Libro 6, Capite 11, « Pontificatus et Presbyteratus honor: » unde patet, ad Presbyteratus ordinem promotum illum fuisse, antequam Episcopus et Pontifex consecraretur. Pergit adnoscere Thomassinus, haec Photianis quidem et temporibus et criminationibus posteriora esse exempla; sed a specie veri tamen alienissimum videri, ut Photii columnis id datum factumque fuerit, quod aliquid in occidentalibus, vel Romanae saltem, Ecclesiae moribus innovaretur. Adde demum, inquit, quod ordinationis alicujus Antipapae, v. g. Constantini, quem Anastasius Bibliothecarius, aut alius quisque Auctor « Subdiaconum et Diaconum » ordinatum refert, atque tum « Summum Pontificem, » ea esse possent vitia, quibus aliae similiter non clauderent: ibi namque multa praecipitatur, quae alias expediuntur lentius.

Eadem est sententia Christiani Lupi in Dissertatione de Octava Synodo Generali, Capite 5, Calumnia 9, inquit: « Antiquissimus Romanae ac « omnis sub caelo Ecclesiae mos, per Synodum Sardicensem confirmatus, non solum Presbyterum, sed etiam Diaconum permittit eligi in Episcopum. » Hinc impudens Photius suam a laico praevicatoriam electionem alieno vitio fecere moliens, calumniare nos non erubuit, quod Diaconos per saltum in Episcopos et eligere et consecrare. Verum hujusmodi saltum foimus eum « omni sub caelo Ecclesia semper acerrime detestati. Etenim Ischyram, Sancti Athanasii calumniosum accusatorem, quem per saltum Eusebiana factio consecravit in Episcopum, damnavit « laudata nostra Synodus Sardicensis etc. » Nullam et irritam, si contingeret haec Diaconi, praetermissa Presbyteratu, inauguratio in Episcopum, frequentius illi etiam fatetur Theologi, qui Episcopatum existimant Sacramentum ab eodem Presbyteratu distinctum. Ajunt enim: « Episcopalem ordinationem ita esse a Christo institutam, ut essentialiter debeat praesupponere Sacerdotium: adeoque valide non posse quempiam consecrari Episcopum, qui prius non esset Sacerdos initiatus. »

Nonnullas ingerit difficultates Edmundus Martene de antiquis Ecclesiae ritibus Lib. 1, Capite 8, Art. 5, num. 10. « Joannes, inquit, S. Galli discipulus, Diaconus, ordinatus Episcopus Constan-

« tiensis est, Presbyteratu non suscepto, ut satis « clare docet Strabo in vita S. Galli Libro 1, Capite 23. » (apud Mabillonium Saeculo 2, Benedictino, et in Annalibus ad Annum 615, num. 8). Valafridi Strabonis verba sunt: « Dux (Joannem) « Diaconum venire fecit in medium . . . Licet « recentem in praesentiam Pontificum pertraxerunt et Ducis . . . Levaverunt omnes pariter « vocem dicentes: Joannem elegit sibi Dominus « Pontificem hodie . . . Episcopi itaque duxerunt « eum ad altare, et solemnem benedictionis officio « ordinauerunt Antistitem. » Auctoritas est negativa, ut verbis utar Lupi loco priore superius citato: quae commissum saltum discrete non affirmat. Simul Presbyter et Episcopus consecrari potuit Joannes, sed alia et alia consecratione, vel eadem die, vel diebus distinctis.

Constantini Antipapae exemplum adducitur ab eodem Martene: quod ita Bibliothecarius in vita Stephani IV. describit num. 265, apud Franciscum Blanchinum: « Cum nondum (Paulus I.) spiritum « exhalasset, » agente Totone Duce Nepeinae civitatis, « elegerunt Constantinum, fratrem ejusdem Totonis, laicum existentem . . . Georgius Episcopus, « timore correptus, orationem illi clericatus tribuit, « et ita clericus effectus est . . . Alio vero die « illucescente, secunda feria, Subdiaconus atque « Diaconus ab eodem Episcopo consecratus est . . . « Adveniente Dominico die . . . Pontifex ab eodem « Georgio Episcopo Praenestino et aliis duobus « consecratus est. » Cum designentur in particulari gradus ecclesiastici a Constantino suscepti, et nulla fiat mentio Presbyteratus ipsi collati, indicio est praetermissum prorsus ab eo fuisse. Ita nempe Martene. Thomassinum audivimus, hoc fortasse vitium contigisse in Antipapae ordinatione, in qua multa praecipitatur quae alias expediuntur lentius; ac tanti rem istam esse momenti, ut solo silentio perfici certe nihil possit. Adde ergo liceat, Constantinum Presbyterum ac Episcopum vel eadem vel diversa die initium fuisse fieri vero expressam « Clericatus, Subdiaconatus et Diaconatus, » qui uno eodemque die suscepti fuerunt, mentionem, ut nota fieret illegitima Constantini ordinatio, ob ejus ex laico adsumptionem, ac praetermissa inter ordines interstitia contra sacrorum canonum statuta.

Pergit Martene, et ait: « In Concilio Romano post « Constantini depositionem a Stephano Papa III. « vel IV. congregato, sub anathematis interminatione « vetitum fuit: Ne ullus unquam laicorum, neque « ex alio ordine, praesumat, nisi per distinctos « gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus ordinem possit promoveri. Ubi liberum fuisse videtur, ex utrisque Diaconis aut Presbyteris Cardinalibus ordinari Pontifices. In eodem Concilio « Actione 5, statutum est etiam, ut Episcopi, quos « Constantinus ordinaverat, si quidem Presbyteri « fuerunt aut Diaconi, ad pristinum ordinem revertentur, denuo ab Apostolico suscepturi benedictionis consecrationem. » Liberum nempe relinquitur, ut Episcopi ex Diaconibus vel Presbyteris eligantur: qui vero Diaconi dumtaxat fuerint, praetermissa Presbyteratu ordinari potuisse Episcopos aut Pontifices, verba nulla discrete tradunt. Iterum vero statuitur, ut inter ordines Subdiaconatum et Diaconatum et Presbyteratum interstitia observentur: in his vero, quod attinet ad Presbyteratum, dispensatum innuitur, quoties Diaconus eligetur Episcopus juxta mores Ecclesiae Romanae: facta demum contra canones ordinatione; decoratur, ut qui hocce eum vitio ordinati fuerint, ad pristinum gradum legitime susceptum reverti debeant, donec ab Apostolico benedictionis consecrationem accipiant: de qua dissident Theologi, num haec fuerit caeremonialis tantum, an nova et vera consecratio. Rem quam discimus, mirifice illustrat Benedicti V. exemplum, quod superius memoratum est. Vita funeto Joanne XII, narrat Luitprandus in Historia Capite 11 libri sexti, Romanos, insuper habito Leone VIII, qui contra ipsum Joannem, Othone Imperatore agente, evectus fuerat, « Benedictum Cardinalem Diaconum » constituisse « Papam. » An existimaveris, praetermissa Presbyteratu, Episcopum et Papam consecratum fuisse? Te tua falleret opinatio. Ipse Luitprandus narrare pergit, Leonem Sedi Apostolicae redintegratum, « omni Pontificatus et Presbyteratus honore prius vasse Benedictum: et Diaconatum eum habere « permisisse. » Nedom ergo Episcopus inauguratus fuerat, verum etiam Presbyter: ipsique Diaconatus ordo et honor relinquitur, quem legitime susceperat.

DISSERTATIO V.

ADVERSUS PETRI ZORNII, HAMBURGENSIS HETERODOXI, PROGRAMMA, DE VARIA SANCTI THOMAE AQUINATIS FORTUNA IN SCHOLIS PONTIFICIORUM, PRAESERTIM GALLORUM: ALIAQUE COMMENTA ET DICTERIA ADAMI TRIBBECHOVII, HETERODOXI SAXO-GOTHANI.

CAPUT I.

Partium studio in suo Programme laborat Zornius. Bona ac propitia Sancto Thomae Aquinatis, dum viveret, arrisit pro meritis fortuna. Sinistra nulla passus est Parisiis occasione censurae, a Stephano Tempier Episcopo latae.

I. Petri Zornii Hamburgensis, Heterodoxi hominis, « Programma » incidit in manus, inscriptum

« de varia fortuna Sancti Thomae Aquinatis in « Scholis Pontificiorum, praesertim Gallorum, » quod prima vice Rostochii anno 1706 editum est, tum inter ejusdem Scriptoris « Opuscula Sacra » Tomo 1, semel et iterum recensum Altonoviae et Flesburgi anno 1745. Ad muneris mei partes, qui Admonitionibus in ejusdem Thomae opera ac doctrinam Venetae Bettinellanae editioni inserendis, vel hisce dissertationibus sejunctim editis, qualescumque labores confero, maxime spectare censui,

ut variam hanc Doctores Angelici fortunam ab homine Heterodoxo enarratum diligentius expendere. Legi libellum: quem si dixerō indigestam confusamque scripturam, crisi vacuam et ineptam, suaeque sectae praedictis plenam; lucidissimam veritatem proferam, moderatque animi limites ne latum quidem unguem excedam.

Quod equidem notissimum ut fiat compertumque, integrum « Programma, » ac singulas partes eius ad examen, quod partium studio prorsus eliminatum instituendum est, advocare liceat. « Quamvis Scriptores (initio libelli inquit) modo ad ducti, Guillelmus de Tocco, Bernardus Guidonis, « Nicolaus Trivetus, (quos veteres dumtaxat eum « aliquibus recentioribus laudat) de Thoma multa « observaverint; primus tamen Scriptor, qui hic « utramque facere poterit paginam, et cui non « pauca nos debere grati profitemur, est Petrus « de Alva et Astorga, celeberrimus ex ordine Mi « norum scriptor. » Utramque ergo paginam « Pro « grammatis » efficit Petrus de Alva et Astorga? Virum nempe intellige, qui medio saeculo praecedente elapso, animo palam infenso in Aquinatam scripsit. Optimas criticae leges violat Zornius, quae jubent, synchronos suppresque factis quae narrantur, consulendos esse scriptores: neque fidem vel ipsis praesentandam clausis oculis, non antea diligentius perspicis eorum conditione ac perita et studio et animi affectibus. Has ergo leges jure strictissimum servandas mihi impono, « Programma » Zornii expendenti et refellenti.

Justam et obviam, quae contra Petrum de Alva et Astorga, tanquam duces « Programmatis » delectum, fieri querela poterat, vidit Heterodoxus Auctor: satisque quaerenti cuique facere studet: « Dicit aliquis (inquit) cum Jo. Andrea Schmidio in Prolusionum Marianorum prima, studio « partium infectum parum favere (Petrum illum). « Sic praecleara observavit, ad veritatis lanceam exigenda, sine ulla gratia in Thomam, et odio. » Equidem « non pauca, » in suo Programme transscripta, « se debere » Petro illi, « gratum proficitur Zornius. » Num eadem « ad veritatis lanceam exegerit, » mox constabit. Absit sane, ut par est, in varia Thomae fortuna enarranda, gratia quaeque erga ipsum: absit et odium. An vero vacuum affectibus gesserit animum Scriptor Hamburgensis, qui Petrum de Alva legit, lustravit, corrasitque, Scriptorum vero, qui apologetica scripta ediderunt, meministi nupiam? Opera tamen pro Aquinate prostabant, a Francisco Janssens Elinga anno 1664 et 1665 vulgata, a Martino Harneyo et Joanne Casalas eodem anno 1664, a Vincentio Barone anno 1666, a Seraphino Piccinardo anno 1685, ab aliis etiam. Quis fuerit Petrus de Alva, quid in ipsum praestiterint laudati Apologistae, judicium ferat Casimirus Oudinus, minime bono, sed iniquo comparatus animo in Aquinatam. Plura habet ille in Dissertatione de Scriptis ejusdem Doctores: unam vel alteram animadversionem subijcio. Verba ejus sunt Capite 20: « Ita quidem Petrus de Alva « ad aemulationem et invidiam Sancto Thomae « conciliandam. » Et capite 25: « Probat thesimum modicissimis conjecturis, litterato homine indignis . . . Utitur praeterea negativis argumētis, nihil concludentibus: itemque Mss. coedictibus anonymis, quos omnes Originalia appellat semper. Vidisse me hominem recolo olim

« dum junior essem, varias percurrentem Bibliothecas, sed festinanter . . . Unde nihil mirum, « quod tam modicam ex tot locis inspectis eruditionem hauserit. Hunc virum egregie dedolavit « Franciscus Janssens Ordinis Fratrum Praedicatorum . . . Idem praestitit Fr. Martinus Harneyus « ex eodem Ordine. » At Oudino fidem ne adhibeas, per me licet: lucidissime namque patebit veritas, purioribus collustrata radiis.

II. Opus ipsum auspicatur Zornius a bona et propitia quae Thomae viventi arrisit fortuna. « Thomas (inquit) quoad vixit, extra omnem dubitationis aleam, puriorem de sacris rebus sensum habuit: sed eodem post mortem, quae in « annum 1274 incidisse dicitur, suos manes de « mum, et sinistra passus est fata. » Mors Thomae « incidisse dicitur, » inquit, « in annum » 1274. Emortualem epocham certissimam, quam nemo unus vocavit in dubium, sibi minime compertam fuisse indicat Zornius. Inscitia est, cuius pudeat hominem, qui de varia Aquinatis fortuna singulari Programme agit. Laudes excipio; quae « purior » quem « de rebus sacris » Thomas « habuit sensus » celebratur: at hominis Heterodoxi praecognitionem cum suspectum esse queat, « puriorum sepsium in rebus sacris, benevole Lector, intellige Catholicae, Apostolicae, Romanae Ecclesiae semper et ubique in Operibus ejus omnino consonum.

Hanc vero bonae Thomae Aquinatis fortunae partem quis non videat nimium jejunae a Zornio expositam? Nonnulla profero certissima documenta, quae doctrinae ejus praestantiam et puritatem patefaciunt. Hanc noverat Cancellarius Parisiensis, qui anno 1236 ineunte, nequidquam factiosus quibusdam Academicis repugnantibus; « licentiam » Thomae Baccalauro, ut ajebant, concessit Commentarios in Sententias Petri Lombardi nomine suo, proque Magistri munere, eorum palamque tradendū in Gymnasio Sancti Jacobo. Haec de re certior factus Alexander IV. summus Pontifex, litteras ad Cancellarium scripsit eodem anno 3 « idus Martii, » quibus « delectabile » sibi fuisse « auditu » testatur: « quod Dilecto Filio Fratri Thomae de Aquino Ordinis Praedicatorum, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo, « ac thesaurum litteralis scientiae per Dei gratiam « assecuto, dederit licentiam in Theologica facultate docendi. » Studiorum cursu in Parisiensi Universitate expleto, in Italiam anno 1261 remigravit. Quo ejus Doctrina haberetur in pretio, plura docent Opera, quae « ad petitionem Urbani IV, » teste Ptolomaeo de Luca Libro 22 Hist. Eccles. capite 24, elucubravit: nempe « Opus continuum « in Quatuor Evangelia, » Examen Theologicum libelli ab eodem Pontifice oblatis « contra errores « Graecorum, et Officium Corporis Christi. » Proxelo, quo Sanctus Raimundus Penna Saracenorum et Infidelium salutem aeternam deperibat, opus Aquinati injunxit, Petro Marsilio ejus aevi teste, quod eorum ad conversionem utile foret: illudque perfecit S. Thomas inscriptum, « de Veritate Fidei « Catholicae. » Tantum Doctorem diutius absentem passa non est Universitas Parisiensis: iterumque docentem ab anno 1269 ad 1271, ipsum audivit. Eodem ad finem vergente anno, cum in Italiam remigrasset, ipsum ad regendas Neapoli Scholas accivit Rex Carolus Andegavensis, lato Diplomate « prima Indictione Mensis Octobris. » Prin-

cipes Viri, Rex Cyprī, et Comitissa Flandriae, Archiepiscopus Panormitanus, Archiepiscopus Tridentinus, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, Cantor Antiochenus, Sacrae Theologiae Lectores, plures alii, oraculum Thomae adhibat, ut responsa in dubiis, quae emergebant, controversis obtinerent: ipsisque factum satis, egregius Opusculus elucubravit. Sancti Doctores obitum litteris anno 1274 datis indoluit Universitas Parisiensis, in quibus praestantissimi Theologi testantur: « ab collegio suo « requisitum » Thomam anno 1272, ut tertia Vice docentem audirent, « non potuisse obtinere, » utpote Scholas Neapolitanas regentem. Cum vero degentem inter vivos habere ipsum non potuerint, ejusdem « jam defuncti ossa pro maximo munere postulant: « quoniam omnino est indecens et indignum, in « quentes, ut altera natio aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, « quae ipsum diu educavit, nutrit, fovit, et potestmodum ab eodem doctrinae documenta et « ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat « et sepulta. Demum humiliter supplicamus (ad « Generalia Ordinis Comitia scribebant), ut cum « quaedam scripta, ad Philosophiam pertinentia et « spectantia, Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta . . . nobis benevolentia vestra communicare curetis. » Tam magno scilicet in pretio Opera Thomae habebant Magistri Parisienses, ut minimis etiam carere quibusdam Tractatibus non paterentur. Haec abs scriptore, qui variam Thomae fortunam enarrat, absque nota praetermitti potuisse, dixit nemo.

III. Quinam fuerint manes, quenam sinistra fata, quae post Aquinatis obitum fama et doctrina ejus passa sit? « Cum in Academia Parisiensi « pessimi quique errores post Thomae obitum « sensim pullulare inceperent (inquit Zornius), « Stephanus de Tempier Episcopus Parisiensis anno « 1277, errores 222, publicis litteris damnavit ipse, « et ab aliis demandos curavit. Rumor tum nescio « quis in vulgus exit, in illa Stephani epistola « doctrinam Thomae sive majorem partem, sive « integram fere spectes, tangi: maxime cum errores, quorum sensum explicationemque rejecerat « Stephanus, ad litteram in Thomae scriptis reperiri crederentur . . . Jam igitur de Thomae ejusque aestimatione videbatur actum: sed cum « anno 1525 Thomas a Joanne XXII in Sanctorum numerum adseriberetur, et tunc temporis « Stephanus de Bourretto Episcopus Parisiensis esset, « Patres Praedicatorum pro suis Nunciis, publico « totius Ordinis sui nomine et consilio, anno 1524, « a Stephano conceptissimis verbis petierunt, ut praedicta Antecessoris anathemata, quae vel tangebant, vel tangere saltem videbantur doctrinam Thomae de Aquino, e medio tollerent. Neque vero « abnuvit Stephanus de Bourretto: sed relicto precibus loco, Antecessoris excommunicationem per litteras obliteravit prorsus. » Imminuta sunt aliqua, alia falsa: ac his mala fides immixta. Dicitur « pessimi quique errores post Thomae « obitum sensim pullulare inceperunt. » Gratulandum Aquinati, qui tam validum hinc commentis, dum Scholas Parisiis regeret, sanae doctrinae praesidium opposuerit, ut nonnisi « post ejus obitum » pullulare ipsa inceperint. « Rumor tamen nescio quis in vulgus « exit, in Epistola Stephani, » quae plurimas anathemati subiecerat theses, « doctrinam Thomae

« tangi: » at « rumor nescio cui » prudens nemo fidem adhibeat. Par erat, ut pro munere sibi imposito litteras Antistitis Parisiensis adiret Zornius, ipsiusque mentem, vanitatemque « rumoris » addiceret. Haec enim disertissime scripta leguntur: « Magnarum et gravium personarum, crebra zelo loque fidei accensa insinuat relatio, quod non « nulli Parisius studentes in Artibus, propriae facultatis limites excedentes, quosdam manifestos « et execrabiles errores, imo potius vanitates et « insanias falsas . . . quasi dubitabiles in Scholis « tractare et disputare praesumunt. » An Thomas fuerit, qui inter « Parisius studentes in artibus » numerari debeat? An ille, qui cum sacras doctrinas tradiderit et suggestu, ac plurimis editis operibus illustraverit, « propriae » nihilominus « facultatis « limites excesserit? » An ille demum « manifestos « et execrabiles errores, vanitates et insanias falsas » invexerit, a quo « doctrinae documenta, et ineffabilia fomenta suscepisse, » integra et grata proficitur Universitas Parisiensis? Haec Stephani verba leuculentissimum perhibent innoxiae a Thoma traditae doctrinae testimonium. An obijceris cum Petro de Alva et Astorga, theses damnatae, de modo differentiae inter Angelos intercedentis, auctorem alicubi enunciari « Fratrem Thomam? » At manus interpolatricis audaciam et fraudem evincunt edita plura thesium damnatarum exempla, ac Manuscripti Sorbonici codices a Carolo Duplessis d'Argentré allati in Collectione judiciorum de novis erroribus, in quibus verba illa desiderantur.

Rumor attamen nescio quis in vulgus exit, « in illa Stephani Epistola doctrinam Thomae, sive « majorem partem, sive integram fere spectes, tangi. » Ajebat Petrus de Alva, « doctrinam Divi Thomae « fuisse interdictam quoad ducentos viginti duos « articulos: » buceas rumpere videtur Petrus Zornius, « majorem » doctrinae Thomae « partem, sive « integram fere », in eadem epistola « tactam » effluens. Thomae doctrinam, quam damnatam ait, « ad articulos ducentos viginti duos » redigit ille: « integram fere, » a Thoma traditam in operibus suis doctrinam, anathemati subiectam refert iste. Nemo illud insanum, insanus istud: ac « miram, « quomodo » vel Petri de Alva, vel Petri Zornii « assertio (ut verbis utar Oudini) in mentem « honesti hominis ingredi, atque e lingua egredi « potuerit! » Sed vestigia ducis sui sequens homo Heterodoxus: « Maxime, inquit, eum errores, quorum sensum explicationemque rejecerat Stephanus, ad litteram in Thomae scriptis reperiri « crederentur. » Sunt aliquae theses, quibus inest adjuncta pravi sensus damnata, ac boni et innoxii explicatio. Cur hanc « explicationem a Stephano « rejectam » imponis? Imo Thesium damnatarum collector explicationem addidit, ut Stephani mens in ea censura innotesceret, Sylvio animadvertente in Oratione Apologetica pro S. Thoma Aquinate. Quod si doctrinam Thomae damnaverit Stephanus, aut « integram fere aut quo ad articulos ducentos « viginti duos; » ad litteram ergo prostabit in ejus operibus Articulus primus, « quod Deus non est « trinus et unus: » ac secundum, « quod Deus « non potest generare sibi similem: » et tertius, « quod Deus non cognoscit alia a se: » et quartus, « quod nihil est aeternum a parte finis, quod non « sit aeternum a parte principii: » et quintus, « quod omnia separata, coaeterna sunt prima primo

« principio », et similes alii quampures. Insanī capiti haec sunt deliria.

Rumorem, qui contra Thomae doctrinam in vulgus exiit, refert Zornius. Cur silentio praerit rumoris auctores? Cur gravissimos Thomae Apologistas non memorat? Haec utique ad variam ejus fortunam, si qua fuit, omnino pertinent. Ignorat nemo, rumoris praecipuum auctorem fuisse Guillelmum « la Mare », vel « de Mare, » seu « de la Mare, » quem Wadingus, nobilis Annalium Ordinis Minorum Scriptor, ad Annum 1290, num. 18, vocat « serium nimis indagatorem eorum, quae objicere « posset contra Sanctum Thomam. » Librum edidit anno 1284, inscriptum, « Correctorium Fratris « Thomae, » cui sine mora Apologiam, quam inscripserit « Correctorium corruptorii Fratris Thomae, » opposuerunt intrepidī vindices, Ricardus Clapocel Anglus, Joannes Parisiensis hujus nominis alter, Agidius de Columna Romanus, alique Anonymi. Haec vero quisquis animadvertat serio, minime eum Zornio dixerit, « de Thoma ejusque existimatione fere actum fuisse. » Imo Thomae estimatio incrementa habuit maxima. Stephanus quippe de Bourretto, et ipse Antistes Parisiensis, rumorem, qui contra Thomam exiit in vulgus, cohibuit compressisque, litteris datis « apud Gentiliacum anno Domini 1524, die Jovis ante sacros « cineres », stylo novo 1523.

In his « Antecessoris anathemata, quae vel « tangebant, vel tangere saltem videbantur doctrinam Thomae de Aquino, obliteravit prorsus. » Zornii verba sunt, quae minime Stephani sententiam exprimit. Haec ita se habet: « Supradictam « articulorum condemnationem, et excommunicationem « nis sententiam, in quantum tangunt, vel tangere « asserunt sanam doctrinam Sancti Thomae . . . « totaliter annullamus. » Persuasum erat Viro doctissimo, ac mente Stephano de Tempier « quosdam articulos damnasse, ne forsā eos male intelligentes « cadere in errorem. » Siquidem petulantes quidam studentes in artibus, ac propriae facultatis « limites excedentes, » putida Averrois et Arabum commenta vulgabant in Scholis; eademque ut facilius invaderent, innoxiarum cortice thesium tegebant. Tres vel quatuor, paucissimae sine dubio, littera inspecta, prostabant in operibus Thomae, sed alio sensu: hinc in tuto ut poneret ab eodem Doctore propugnata dogmata, sive Philosophica, sive Theologica, obliterare « articulorum condemnationem et excommunicationis sententiam, » censuit Vir prudentissimus sub his verbis: « in « quantum tangunt, vel tangere asserunt (non « videntur, ut Zornius) sanam doctrinam S. Thomae. » Tactam revera ab Antecessore doctrinam Aquinatis, minime existimabat: infensum tamen aliquorum animum noverat, qui id « adsercebant. » Lata sententia hostes debellavit, animumque suum aperuit praeconio laudum, quo Thomam celebrat: « Fuit, « iniquens, universalis Ecclesiae lumen praefulgens, « dum, gemma radians Clericorum seu Doctorum, « Universitatis nostrae speculum clarissimum, et « candelabrum insigne et lucens: per quod omnes « qui vias vitae et Scholas doctrinae sacrae ingre- « diuntur, lumen vident: claritate vitae, fama « clarae, et scientiae lucidae, velut stella splendida « et matutina, refulgens.

At « Patres Praedicatorum, inquit Zornius, per « suos Nuncios, publico totius Ordinis sui nomine

« et consilio, a Stephano conceptissimis verbis pe- « tierunt, ut praedicta Antecessoris anathemata e « medio tollerent. Neque vero abuit Stephanus, « relicto precibus loco. » Commune Praedicatorum Ordinis votum istud fuisse, pro certo habeo: at supplices libellos a Viris dignitate et doctrina clarissimis oblatos, ejusdem Stephani de Bourretto litterae docent. Cur eas non legerit Zornius? Habeo: « Venerabiles Viros, Decanum et Capitulum Ec- « clesiae Parisiensis, per Venerabilem Virum Ma- « gistrum Annibaldum Decanum Atrebatensem « Archiepiscopum, Sacrae Theologiae Doctorem, et « Dominum Petrum de Flagello Parisiensem Cano- « nicum, eorum propter hoc Nuncios ad nos spe- « cialiter destinatos, nos requisivisse, nobisque « supplicasse . . . etc. Habeo etiam, supplices li- « bellos datos « a Venerabili Patre Domino Guil- « lelmo Dei gratia Viennensi Archiepiscopo Sa- « crae Theologiae professore, et aliis viginti « tribus Magistris in Theologia. Habeo demum li- « teras triginta novem Baccalareorum in Theolo- « gia, super hac re consulentium et rogantium. » Pollicitus erat Zornius, nihil se ex libellis Petri de Alva et Astorga transscripturum, quod « ad « veritatis lancem non « exigeret. Transcripsit sine dubio omnia; ad veritatis lancem exegit nihil.

CAPUT II.

In negotio Joannis de Montesono, nihil doctrinae Sancti Thomae derogatum. Imperia Petri Alliaccensis censura. Aquinas Tractatum scripsit nunquam de concordantia dictorum suorum. Vindices Thomae insecute memorat Zornius. Germana ejusdem opera, perperam pauca numerata, ac impudentissime corrupta adserit.

« I. Ex eo tempore (pergit ille) Thomae scripta « in scholis publicae coepta sunt perlegi et com- « mendari (ad negotium usque, quod anno 1587 « habuit Joannes de Montesono cum Academia Pa- « risiensi). Quae (Universitas) objecit Thomae tot « in fide errores, tot contrarietates, tot repugna- « tiones, etiam in materia ad fidem pertinente ». Nota legitur in margine: « Ante alios Petrus de « Alliaco in Libro contra Joannem de Montesono « contradictiones in Thoma apparentes collegit. Sed « ad istas repugnantias conciliandas testatur Joan- « nes Vitalis Doctor Parisiensis, Thomam ipsum « scripsisse librum Retractionum ». Dubium nul- « lum, ad lancem veritatis haud curasse Petrum Zornium ea examinare, quae ex Petro de Alva colligebat. Thomae objecerit Academia Parisiensis « in « fide errores? » Magistros, qui contra Montesonum anno 1587, stylo novo 1588, die 14 Mensis Februarii apud Sanctum Mathurinum sententiam tulere, luculentissime testantes habeo: « Nos millesies « diximus . . . qualiter Sancti Thomae doctrinam in « dicta nostra condemnatione nequaquam repro- « bamus ». Quid? quod ipse Petrus de Alliaco, qui plus nimio calamus acuit, in Actione sua dicta Avenione in Consistorio num. 2, sic ait: « Prote- « stamur, quod contra honorem et reverentiam « Sancti Thomae de Aquino, aut doctrinae ipsius, « nihil omnino proponemus ». Dixerat etiam in Sermone 1, coram Papa Clemente, in ejus obedientia 7: « Quod nulla earum (thesium, quae « damnandae proponebantur contra Montesonum)

« ex dictis Sancti Thomae dogmatizanda sit, quam- « vis possem ostendere, quibus non omitto ». Haec sunt inconcussa documenta, quibus non « varia » sed bona semper ac propitia pro meritis fortuna Thomae innititur.

II. Candido tamen fateor animo, minus aequum in Sanctum Doctorem praebere se Petrum Alliaccensem in fusiore, quem edidit, hac de re Tractatu. Exempla « errorum Divi Thomae » capite 1, et exempla « contrarietatum etiam in materia ad fidem « pertinente » Capite 3, adducit ille. Judicem ego postulo accuratissimum, qui sine gratia et odio sententiam ferat. « Primum exemplum errorum I. P. Sum- « mae Q. 47. Artic. ult., in Resp. ult. arg. quod non « est possibile aliam terram esse quam istam, quia « omnis terra naturaliter ad hoc medium ferretur, u- « bicumque esset ». Quae praecedunt verba Thomae, haec sunt: « mundus constat ex tota sua materia: » quibus innotescit, de uno illo Sanctum Doctorem loqui mundo, qui est. Hinc verba quae sequuntur, par est intelligi debere « secundum potentiam « mundi materialem » ut ait Sylvius, « et spectato « eo rerum cursu qui nunc est: non autem secun- « dum potentiam Dei Creatoris, neque spectato illo « rerum cursu, quem ipse potest pro suo bene- « placito dare ». Consule ibidem, quae apertissima Thomae documenta asserunt. Jam primus error in auras abiit. « Secundum exemplum infra, Quaes- « 80, Art. 4, et Quaes. 73, Art. ult., quod impos- « sibile est duos Angelos esse ejusdem speciei ». Thesim innoxiam pro genio innotescit vel tuerentur vel rejiciunt Theologi ac Philosophi in Scholis. Nihil enim divitiis Ecclesiae Catholicae traditum est, quod Angelorum differentiam, qualis ea demum constituenda sit, clare detegat. « Tertium exemplum « infra, Quaes. 76, Art. 3, et 8, de unitate formae « substantialis in homine ». Judicium accipe Guil- « lelmi Ochami in Dialogis, I. P. Libro 2, Capite 24. « Dicunt quidam, quod damnatio » (praedictae theses, similique, a Roberto de Kildwardbi Archiepiscopo Cantuariensi lata) « temeraria exi- « stebat, eo quod veritates, ut dicunt, condemna- « vit. Unde et quidam alius Archiepiscopus » (Corinthis, Guillelmus de Morbecka) « ipsum de dicta « damnatione acriter reprehendit . . . Plures alii « ipsam (damnationem) fuisse temerariam putarunt. « Plures alii enim Parisienses Doctores et Scho- « lares assertiones » damnatas (a Kildwardbio, et postea a Joanne Pekamo) « publicae tenuerunt ».

« Primum exemplum contrarietatum in mate- « ria fidei, 1 Sent., Dist. 11, Art. 9, quod Pater et « Filius possunt dici sicut duo Spiritus. In prima « vero parte Summae Quaes. 36, Art. ult., quod « sunt unus spirator, et non duo ». Nempē utro- « que « duorum spiratorum » enunciatio sustinetur: etiam « duorum spiratorum » priore in loco, « minus proprie: an spiratoris unius » loco poste- « riore « melius » et salva substantivi hominis proprietate. Quid reprehensione dignum? « Secundum « exemplum, quia in 2 Sent., dist. 1, dicit, quod crea- « tio instrumentaliter communicari potuit creaturae, « sustinens in hoc opinionem Magistri. In prima « vero parte Summae, Quaes. 43, Art. 3, dicit, « quod non ». Nimirum genus est controversiae, quod ad fidem non attinet. Opinionem Magistri Sententiarum, quam non rejicit Thomas Commentator, rejicit postea proventus aetate. Nodum in seripo quaerit qui haec objectat. « Tertium exem-

« plum, quia in 3 Sent., Dist. 6, Quaes. 2, Art. 2, « dicit, quod prima opinio ibi posita a Magistro « non est haeretica, licet sit falsa: scilicet, quod « Filius Dei assumpsit hominem, ex humana car- « ne et anima rationali constitutum . . . in tertia « vero parte Quaes. 2, Art. 3, in fine, dicit, quod « est haeretica, et condemnata in Concilio ». Opi- « nabantur nonnulli apud Magistrum Sententiarum, Filium Dei adsumpsisse naturam humanam, non individuum solum, verum etiam aliquo modo subsistentem, minime vero personam; subsistentiam in homine a persona subtilius distinguentes. Opinione passim insequitur Doctor Aquinas, tanquam « intelligibilem, et impossibilem: » ab inveniunda haerescos censura primo loco abstinuit: thesim notat loco altero, veluti « erroneam, et incidentem in « haeresim » Nestorii in Ephesino Concilio damnata. In his antiplogiam somnia, quae nulla est. « Quartum exemplum, quia in 4 Sent., Dist. 58, « Art. 4, ad 3, dicit quod potest Papa dispen- « sare in voto (solemnī) continentiae. Et 2-2, « Quaes. 88, Art. 2, dicit, quod non . . . Sed haec « secunda opinio videtur esse erronea in fide, cum « sit contra observantiam Ecclesiae, quae in tali « voto quandoque dispensavit ». Animadvertite, Thomam loco priore « alios » referre, qui « dicunt « probabilis » in voto continentiae et in voto religionis dispensari posse « si communis utilitas « totius Ecclesiae, aut unius Regni vel Provinciae « exposceret: » loco altero verba ejus esse moderatissime plena « ideo aliter » iniquitas videtur « dicendum ». Alteram opinionem pro libito amplectuntur Theologi, ac tuerentur: quaeve dispensationum exempla afferri solent, ad criticorum leges exacta, dubia sunt. Quis vero non admiretur, tam pauca in operibus Thomae post improbam perquisitionem ab Alliaccensi inveniri potuisse, quae vellicarentur? Sane imprudens ille fuit, qui doctrinas innoxias, veluti errores traducere nimia confidentia voluit: illi vero insani, qui veteres calumnias toties profligatas instaurare nituntur. Haec de re egimus uberiore calamo in alia Dissertatione.

III. Sed alias plurimas in operibus Thomae pro- stare antiplogias, indicat Zornius: « ad quas, inquit, « conciliandas, testatur Joannes Vitalis, Thomam « ipsum scripsisse librum Retractionum ». Ipse Petrus Alliaccensis post superiora allata exempla, postremum « generale, profert: quod sumitur, in- « quit, ex quodam Tractatu Sancti Thomae de « Concordantia quorundam dictorum suorum inter se « discordantium, qui incipit: Pertransibunt plurimi, « et multiplex erit scientia; ubi multa diversa, quae « in doctrina sua continentur, corrigi, et exponit ». Zornium, qui criticum agit, compello, num ad veritatis lancem exegerit quod profert? Cur vero non animadvertenter, opusculum istud, quod in Editione Romana 72, numeratur, minutis characteribus expressum fuisse? Cur synchronos suppareque Nomenclatores non adierit, Guillelmum de Tocco, Nicolaum Trivetum, Bernardum Guidonis, Bartholomaeum Logothetam, Petrum Rogerium, Sanctum Antonium, qui nullam praedicti libelli mentionem ingerunt? An opponat Ptolomaeum Lucensem « item dicitur, iniquentem, fecisse Tractatum de « Concordantia dictorum suorum ». Verba synchroni Auctoris agnosce, sed ex incerta fama scribentis. Leander Albertus testatur, simile opus elucubratum fuisse a Benedicto de Assignano, qui